

se esse principem Israëliti exercitus quia est exercitus deus hoc est quatenus est exercitus Dei, quatenus diuinis obtemperat mandatis. *Et nunc venio.* Parui refert quod iuxta Hebræum habetur. *nunc veni.* proculdubio in specie sensibili ad manifestandum spirituale meam præsentiam assistentem exercitui Israël. *Et cecidit Iehosua in faciem suam in terrâ, & adorauit.* Proculdubio dei legatum veneratus est: adorando deum in illo, quem admodum in legato pontificis honoratur pontifex. *Et dixit ei, quid dominus meus loquitur ad seruum suum?* Si hominem principem seu regem licite sic alloquimur, multo magis licuit Iehosua angelum Dei sic alloqui. *Solue, inquit, calciamenti tuum de pedibus tuis: locus enim in quo stas sanctus est.* Quod admodum templum in quo consulebatur Deus & diuina responsa habebantur, ex hoc ipso erat sanctum, ita locus ille in quo Iehosua meruit videre angelum, consulere Deum & habere reuelationem modi, quo iuperanda erat Iericho, ex hoc ipso sanctus seu sanctitas dicitur: & propterea nuditate pedum venerandus. Simile quid fuit mandatum Mosi in apparitione rubi ardentis. simile etiam mandatur sacerdoti ministranti in templo. *Et fecit Iehosua sic.*

## CAPVT VI.

*Iericho autem clausa erat: atque munita timore filiorum*

**I** *Israel.* Parui refert quod Hebraicè habetur. *Et Iericho claudes viros suos & clausa à facie filiorum Israel:*

*non erat egrediens nec ingrediens.* Interponitur dispositio vrbis Iericho antequam narretur quid dixerit angelus ad Iehosua de vrbe Iericho. Narrantur autem duæ dispositiones. altera quod omnes viros territorii sui concluderat intra urbem: altera quod vrbs ipsa erat clausa, ita vt nullus egrederetur aut ingrederetur propter præsentiam filiorum Israel.

*Dixitque dominus ad Iehosua.* Quauis angelus loqueretur, attribuitur tamen Iehouah ista locutio, ad significandum quod angelus in persona Dei locutus est. *ecce dedi.* Parui refert quod Hebraicè habetur. *Vide dedi in manum tuam Iericho & regem eius, viros fortes.* Circumite ciuitatem cuncti bellatores *semel per diem: sic facietis sex diebus.* ad hoc enim venerat angelus vt in persona Dei instrueret Iehosua modum quo capienda erat ciuitas Iericho: & ante omnia reddit ipsium attentum ad considerandum quæ dicit. Et primum victoriam integram manifestat: deinde modum vincendi, subiungendo

quod viri bellatores gyrent ciuitatem sex diebus. *Septimo autem.* Deficit ante hæc verba vna integra clausula: videlicet. *Et septem sacerdotes tollent septem cornua Iobeleorum ante arcam.* disponit nanque non solum de bellatoribus, sed etiam de arca, & præcedentibus septem sacerdotibus cum tubis septem non argenteis, sed ex cornibus arietum quibus vtebantur in Iobeleo. Et statim sequitur. *die autem septimo circumibunt ciuitatem septem vicibus: & sacerdotes clangent tubis.* Disparitas inter præcedentes sex dies & diem septimam manifesta describitur penes numerum circumituum. *Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concissor.* *Et in auribus vestris increperit,* clamabit omnis populus vociferatione magna. Disponitur quid agendum est die septimo in fine tot circumituum: videlicet quod in fine ultimi circumitus fiat sonus tubæ cornæ longior, ita quod ipsa protractio sonitus erit signum quod populus vociferetur clamore magno. Prædicatque effectum. *Et muri funditus corruet ciuitatis.* iuxta Hebræum plus habetur. *Et cadet murus ciuitatis sub ea.* Dicendo sub ea, manifestat quod vel in fossam circumcirca, vel maiori miraculo sub terram casurus erat murus: vt Israëlita non impedirentur à ruinis muri, sed liberum haberent ingressum circumcirca in ciuitatem. *ingredienturque singuli per locum contra quem steterunt.* Vocauitque Iehosua filios *Nun sacerdotes,* & dixit ad eos, *tollite arcam fœderis, & septem alij sacerdotes tollant septem Iobeleorum buccinas, & incedant ante arcam domini.* Non est in Hebræo alii (forte enim non erant tunc tot sacerdotes vt sufficerent ad vtrunque officium, & portandi arcam & vtendi septem tubis præcedendo arcam) sed Iehosua sacerdotibus dicit vt tollant arcam per seipsos vel leuitas, & septem sacerdotes tollant septem tubas arietinas: quæ in vulgata editione appellantur, quarum vsus est in Iobeleo. *Ad populum quoque ascite & circumite ciuitatem, armati præcedentes arcam domini.* Legendum est. *transite & circumite ciuitatem, & armati transseat ante arcam domini.* Præcedes diuinum mandatum manifestat duo tatum hominum genera debere conuenire ad gyrandum ciuitatem: videlicet omnes viros bellatores & sacerdotes cum tubis & arca Dei. & propterea intelligendum est, quod iuxta formam mandati diuini Iehosua mandauerit populo non vt vniuersus populus, sed vt vniuersi bellatores circumirent, sic quod quadraginta millia armatorum ex tribubus Reuben, Gad & Menassis transirent



ante arcam, reliqui autem bellatores sequerentur arcam.

Cumq; Iehosua verba finisset ad populum, septem sacerdotes septem buccinis claxerunt ante arcam federis domini. Omnisque populus precedebat armati exercitus. Iuxta Hebræum habetur. Et armatus ibat ante sacerdotes clangentes tubis. Armati nomen appropriatur Reubenitis, Gaditis & dimidiæ tribui Menassis; cō quod ad hoc solum veniebant cum Israël vt armati essent & pugnarent, immo & præcederent filios Israël armati. reliquum vulgus arcam sequebatur. Iuxta Hebræum habetur. & aggregator ibat post arcam Iehosua aggregator virorum bellatorum Israël significatur, quod visus officio aggregatoris (hoc est aggregatis bellatoribus) sequebatur arcam. Simili siquidem more Salomon rex secutus est arcam quā in tēplum portata est. ac buccinis omnia concupabant. Iuxta Hebræum habetur. cundo & sonando cornibus. Qualis erat differentia inter tubas corneas lobelei & tubas corneas militum non inuenio. Præceperat autem Iehosua populo dicens: nō clamabitis nec audietur vox vestra neque vllus sermo ex ore vestro prodibit, donec veniat dies in quo dicam vobis clamate & vociferamini. Circumivit ergo arca Domini civitatem semel per diem: & reuersi sunt ad castra manseruntque ibi.

Igitur Iehosua de nocte consurgente. Legendum est. Et surrexit Iehosua mane. proculdubio secundi diei. & tulerunt sacerdotes arcam domini. Et septem sacerdotes portantes septem buccinas; lobelei ante arcam domini, cum lo ibant, & clangebant buccinis: & armatus populus ibat ante eos. Superfluit dictio populus: & intellige vt supra. vulgus autem reliquum. Iuxta Hebræum habetur. & aggregator ibat post arcam Domini cundo & clangendo cornibus. & intellige vt supra. Circumieruntque civitatem secundo die semel, & reuersi sunt in castra: sic fecerunt sex diebus. Die autem septimo diluculo consurgentes, circumierunt civitatem sicut dispositum erat septies. Iuxta Hebræum habetur. sicut ratio ista septem vicibus. significatur enim quod solito more aliarum gyrationum circumierunt civitatem septem vicibus illo die septimo. Et ad hoc magis explicandum subiungitur in Hebræo. tantum in die ipso circumierunt septem vicibus. Deinde immediate sequitur. Et fuit in septima vice claxerunt sacerdotes cornus. Et est sermo non de sonitu qualicunque (quoniam in quolibet circumitu sacerdotes clangebant cornibus) sed de sonitu protracto vt mandauerat Deus pro signo clamant.

di. & dixit Iehosua ad populum: vociferamini, tradidit enim vobis dominus civitatem. Prius narratur res gesta: videlicet prolixus sonitus editus à sacerdotibus. deinde ratio rei geste, que ratio præcesserat. verba enim hæc Iehosua prius fuerunt dicta quam sacerdotes prolixum illum sonitum ederent: sed & tunc quando sacerdotes actualiter protrahabant sonitum erant præpositi per exercitum sparsi dicentes militibus vociferamini. Quæ autem sequuntur, dicta proculdubio fuerant prius: & nihilominus rationabile est vt Iehosua disposuerit vt primates in ipso ingressu civitatis repeterent passim monita hæc, Estque civitas hæc anathema, & omnia que in ea sunt domino tantum Rachab meretricis: vivet cum vniuersis qui cum ea in domo sunt. Abstrondit enim nuncios quos misimus. Vos autem caute ne de his que prohibita sunt vobis quippiam contingatis & sitis prauaricationis vni: & omnia castra Israël sub peccato sunt atque turbentur. Quicquid autem auri aut argenti fuerit & vasorum arcorum, ac ferrorum, domino consecretur, repositum in thesauro eius. Alias diximus quod dictio interpretata anathema, sonat destructionem. Et est sensus quod civitas ista erit tãquam voto destructionis dicata Deo: hoc est quod ad honorem Dei destruetur ipsa cum omnibus quæ in ea sunt, excepta Rachab, & argēto, auro, ære & ferro quæ in thesauros domus domini inferentur, ita quod nulla pars militibus debetur, sed totum erit Dei vel per modum destructionis vel per modum oblationis tanquam primitiæ civitatum terræ promissionis. Et merito, quia solus Deus expugnauit civitatem hanc. Igitur omni populo vociferante & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusq; inuicem puit, muri ilico corruerunt: & ascendit unusquisque per locum qui contra se erat, & ceperunt civitatem. Et euerterunt omnia que erant in ea (à viro vsque ad mulierem, ab infante vsque ad senem, & vsque ad bouē & onē & asinum) acie gladij.

Duobus autem viris qui exploratores missi fuerant dixit Iehosua ingredimini domum mulieris meretricis, & educate eam & omnia que illius sunt sicut illi iurastis. Ingressiq; iuuenes eduxerunt Rachab & parētes eius, fratres quoq; & cuncta suppellectilem ac cognationē illius Iuxta Hebræum habetur. & omnes progenies eius. comprehendit enim filios & filias nepotes & c. & extra castra Israël manere fecerunt. Intellige hoc aliquot dieb, tãquã dieb, purgatoriis in quib, eorū masculi circūcisi sunt & mulieres ablute: deinde habitauerunt inter Israelitas vt profelyti, vt inferi, subditur.



Ciuitatem autem succenderunt igni, & omnia quae erant in ea: tantum argentum & aurum & vasa aerea ac ferrea posuerunt in thesauro domus domini. Rachab vero meretricem & domum patris eius, & omnia quae habebat fecit Iehosua viuere, & habitauit in medio Israel vsque in presentem diem: quia abscondit nuncios quos miserat Iehosua, vt explorarent Iericho.

In tempore illo imprecatus est. Parui refert quod Hebraicè habetur. Et adiurauit Iehosua in tempore illo dicens. significatur enim quod non humano voto, sed diuina autoritate tanquam adiurans execrationem hanc protulit. maledictus vir coram domino qui suscitauerit & edificauerit ciuitatem hanc Iericho in primogenito suo fundabit eam. hoc est in mortem primogeniti sui iaciet fundamentum, & in nouissimo liberorum. Quāuis Hebraicè habeatur. & in paruo suo statuet portas eius. Insus tamen in idem redit. Et est sensus, & in mortem filii sui parui statuet portas eius. Et intendit per hoc amissionem omnium filiorum à principio adificationis vsque ad clausuram ciuitatis. Diuinam autem fuisse hanc sententiam testatur historia 3. Reg. cap. 16. nam sic euenisse restauratori Iericho ibidem scribitur. Fuit ergo dominus cum Iehosua: & nomen eius in omni terra vulgatum est.

## CAPVT VII.

**F**ilij autē Israel prauaricati sunt mādatum & tulerunt ille anathemate: nā Hachan filius Charmi, filij Zabdi filij Zerach de tribu Iehuda tulit de anathemate. Quē admodum Romano vno aliquid agente consuevit dici Romani fecerunt hoc, ita vno Israelita peccate scribitur filij Israel prauaricati seu mēiti sunt: subiungendo tamen nomen peccatoris. & iratus est furor domini contra filios Israel. Occultae sunt nobis rationes diuinorū iudiciorum. vnus peccauit & furor Dei excāduit in populum. Huiusmodi enim iustitia non imitanda, sed admirāda proponitur hominibus. homo enim non potest huiusmodi poenas extendere: quia nō est dominus mortis & vitæ, nō subest potestati eius occidere & viuificare: Deus autē nulli iniuriā facit etiam si omnia annihilaret, quia vteretur iure suo.

**M**isitq; Iehosua viros de Iericho in Hai quae est iuxta Bethaun ad orientem Bethel, & dixit eis ascendite & explorate terram: & ascenderūt viri & explorauerūt Hai. Intellige extrinsecus: non enim est rationabile quod ingredi potuerint ciuitatem

ratem tam propinquā & inimicam. Et reuersi dixerūt ei, nō ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum pergant & deleat Hai: quare omnis populus frustra vexabitur cōtra hostes paucissimos: viderant enim oppidulum esse: & propterea dicebant quod pauci sunt. Ascenderunt ergo à populo circiter tria millia virorum: & fugerunt coram viris Hai, & percusserunt ex eis viri Hai circiter triginta & sex viros, & persecuti sunt eos coram porta vsque Sebarim, & ceciderunt per prona fugientes. Prius more solito narrata est res gesta: videlicet quod Israelitae fugerunt & triginta sex percussi sunt. deinde narratur modus quo res gesta est: videlicet quod persecuti sunt eos intra loci spatij quod erat coram porta ciuitatis vsque ad locū fractionum. Sebarim enim non est nomen propriū, sed appellatiuum significās fractiones: qualitas enim loci pendētis inter fracta saxa significatur. Vnde & Hebraicè non dicitur & ceciderunt per prona fugientes, sed dicitur. & percusserūt eos in pendulo. in loco enim pendulo illarum fractionum percusserūt eos. & liquefactum est cor populi, & fuit in aquam.

Iehosua verò scidit vestimēta sua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini vsque ad vesperam, ipse & senes Israel miseruntque puluerem super capita sua. Et dixit Iehosua, heu domine Deus. Hebraicè habetur. Heu domini mei Iehouah cur trāsire fecisti populum hunc Iarden. Modus reuerenter alloquendi Deū in numero plurali insinuat solitus, dicendo Deo adonai, hoc est domini mei. vt traderes nos in manus Emorai & perideres. Secundum ordinem quem prae se ferebat plaga illa Intellige dictū vt traderes nos in manus Emorai. Et similiter iuxta eundem ordinem perditionis intellige quod subiungitur, vinam vt capimus mansissemus trans Iordanem. Quāuis Hebraicè habeatur: & vinam voluissimus & sedissemus trans Iarden. verē enim hoc erat eligibilis quā euētus, quem prae se ferebat plaga illa. Mi domine Deus. Parui refert quod Hebraicè habetur. Obsecrō adonai. Et est aduerbium obsecrō. imperfecta est oratio more stupentis & dolentis. Vnde & subditur. quid dicam. subaudi nescio. Et ratio subditur collatio plagae istius cum pollicitis à te. postquā vertit Israel ceruicem à facie inimicorum suorum? Audient Chenahanaei & omnes habitatores terra, & pariter cōglobati circundabunt nos atque delebunt nomen nostrum de terra. Confert Iehosua futurum euentū ex fama talis plagae, & in de infert, & quid facies nomini tuo magno? Acti aperti dixerūt: quāuis



quanuis nos deleri paru m fit, magnipédenda tamen est fama nominis tui magni quæ ex huiusmodi effectu multum lædatur: quia sub umbra nominis tui venimus possessuri terram hanc.

*Dixitq; dominus ad Iehosua. surge. Deficit tibi hoc est surge ad tuam cellitudinem. cur iaces pronus in terra? Non ignorantis aut inquiringentis aut arguentis, sed insinuatis quod non sufficit supplicare sed alio opus esse remedio, est vox ista. Peccauit Israel & prauaricatus est pactum meum quod præcepi eis: tuleruntq; de anathemate, & furati sunt atq; metuiti, & absconderunt inter vasa sua. Considera prudens lector, quod Deus pedetentim reuelat peccatum commissum, & primum quidem in genere dicit peccauit Israel: deinde descendendo, dicit & etiam prauaricati sunt pactum meum quod præcepi eis. præceperat enim ut Iericho sicaretur penitus Deo. Postea ad speciem peccati descendens, dicit & etiam abstulerunt de destructione, & amplius specificando, subiungit & etiam furati sunt, ad significandum quod occulte hoc fecerunt. Et accumulando crimen crimini subiungit, & etiam metuiti sunt, per quod insinuatur quod Hachan post commissum furtum metuitus est se innocentem sicut & reliquos, rationi siquidem consentaneum est ut præpositi à Iehosua continè monuerint ne aliquis usurparet sibi quicquid de rebus Iericho, & quod monuerint post incensam ciuitatem omnes ut seruèret decretum anathema, & Hachan cum aliis dixerit se seruasse. Et demum reuelat Deus locum occultati furti, dicendo & etiam posuerunt in vasis suis. Hebraico siquidem idiomate valde generale nomen est vas. Nec poterunt filii Israel stare ante hostes suos, cruciæ vertent coram inimicis suis, quia fuerunt in anathemate: non ero vltra vobiscum nisi disperdatis anathema è medio vestri. Surge, sanctifica populum. Modus autè subiungitur. & dices sanctificamini in crastinum. Ipsa monitio populi ut sanctificet se appellatur actiua sanctificatio Iosue. Qualiter autè populus sanctificauit seipsum pro die crastino, scriptum non est: sed proculdubio monentur ut mundent corda sua contritione peccatorum, & sic se ipsos præparent diuino examini in crastinum, sic enim dicit dominus deus Israel, anathema est in medio tui Israel: non poteris stare coram hostibus tuis donec remoueatis anathema è medio vestri. Scripta est hæc diuina reuelatio, ut intelligamur hinc perseverare diuinam iram quoad non purgatur peccatum. Et merito, quia quoad non purgatur peccatum perseverat materia iustitiæ vindicatiue.*

Ej

Et hoc si annotarent & curarent ut fieret principes tam sæculares quam ecclesiastici, placarent sæpius iram dei. Accedentisq; mane per tribus vestras: & quacumq; tribum fors inuenit. Iuxta Hebræum habetur. & erit, tribus quæ ceperit eam Iehouah, ita quod nulla fit mentio sortis, sed Dei capientis tribum. Et similiter subiungitur de cognationibus & domibus, accedet per familias: & familia quam ceperit eam Iehouah, accedet per domos: & domus quam ceperit eam Iehouah, accedet per viros. Et quicumq; deprehensus fuerit in anathemate, comburetur igni cum omni substantia sua. Iuxta Hebræum habetur. & omne quod ei. Quod ideo annotauerim ut libretur mandatum Dei præipientis comburi viros, qui accepit de destructione & omnia quæ illius sunt, set & omnes qui illi sunt. quonia præuaricatus est pactum domini, & fecit nefas in Israel.

**S**urgens itaque Iehosua mane, applicuit Israel per tribus suas. Iuxta Hebræum habetur. fecit appropinquare Israel per tribus suas. Et similiter subiungitur de familiis & domibus: verum nescimus modum huiusmodi appropinquationis, & similiter nescimus modum deprehensionis cum subiungitur. & fuit deprehensa tribus Iehudæ. Et appropinquare fecit familiam Iehudæ. & deprehedit familiam Zarchi: & appropinquare fecit familiam Zarchi per viros, & deprehensus est Zabdi. Et appropinquare fecit domum eius per viros, & deprehensus est Hachan filius Char-mi filii Zabdi filii Zerah de tribu Iehudæ. fortè enim appropinquatio fiebat oblatione tribuum, familiarum, domorum virorumq; coram Deo: & diuino aliquo signo deprehendebatur certa tribus, certa familia, certa domus, certus vir. Dixitq; Iehosua ad Hachan: fili mi da gloriam domino deo Israel. Parui refert quod hebraicè dicitur. Pone nunc honorem Iehouah Elohe Israel. Blandè monet Iehosua deprehensum virum ut quanuis præterito tempore peccauerit, nunc saltem deprehensus ponat in manifestatione veritatis honorem debitum fonti essendi iudici Israel. & consistere. Iuxta Hebræum habetur. & da ei laudem seu confessionem. Declarat in specie in qua re ponendus sit honor diuinus: videlicet in confessione seu laude diuini signi quo deprehensus est. & indica mihi quid feceris, non abscondas à me. Ad specialissima descendit: manifestado quod indicare mihi quid feceris erit ponere honorem deo, & dare confessionem laudis illi. Responditq; Hachan Iehosua & dixit: vere ego peccaui domino deo Israel & sic & sic feci. Vidi enim inter spolia



spolia pallium coccineum. Iuxta hebræum habetur, Pallium babilonicum unum bonum. Preciosum seu singulare aliquid sonat tunc notissimum, nunc autem ignotum. & ducentos scielos argenti. Intellige pecuniâ argenteam, regulamq;. Iuxta hebræum habetur, & linguam auri unam ponderis quinquaginta scielorum. sub figura enim linguæ formatum erat aurum illud. & concupiu & abstuli ea: & ecce abscondita sunt in terra cõtra medium. Iuxta hebræum habetur, in medio tentoriij mei, in ipso enim tentorio significatur occultatum furtum, argentumque fassa humo operu. Iuxta hebræum habetur, & argentum sub ea, videlicet lingua ac veste.

Misitque Iehosua nuncios & cucurrerunt ad tentorium: & ecce absconditum erat in tentorio eius & argentum sub eo. Auferentesque de tentorio, tulerunt ea ad Iehosua & ad omnes filios Israel: proieceruntque ante dominum. Iuxta Hebræum habetur, & statuerunt ea coram Iehouah. Et tulit Iehosua Hachan filium Zerach & argentum & pallium & linguam auræ, & filios ac filias eius, bouesque & asinos & oves & tentorium eius, & omne quod erat ei, & omnis Israel cum eo. Narratur non solum ipsum & res ei, sed etiam filios & filias ductas fuisse vel ad supplicium vel ad videndum supplicium patris. & duxerunt eos ad vallem Hachor, hoc est vallem conturbationis. Hachor siquidem non est nomen proprium, sed est nomē appellatiuum significans turbationem. Et fuit appropriatum (vt in calce huius capituli dicitur) illi valli propter verba Iosua. Dixitque Iehosua quia turbasti nos turbabit te Iehouah in die isto, sunt enim verba sententiæ quâ tulit Iosua aduersus Hachan, Lapidauitque eum omnis Israel, & cetera quæ illius erant igne consumpta sunt. Iuxta Hebræum habetur, & combusserunt eos igni & lapidauerunt eos lapidibus. Tria narratur, primum quod omnis Israel lapidauit Hachan: secundum quod combusserunt eos igni: & tertium quod lapidauerunt eos. Vnde nascuntur multæ difficultates, prima est circa ordinem pœnarum, an prius fuerit lapidatio an cõbustio. Secunda est an pronomen eos comprehendat filios & filias, cum lege Moysi prohibitum sit occidere filios pro peccatis parentum. Tertia quare duabus pœnis affectus fuerit, lapidationis & combustionis. Solutio primæ est quod quia deus in hoc eodẽ ca. mandauerat quod deprehensus in anathemate combureretur igni, ideo simul & semel Hachan cõbustus est & lapidatus: inter lapidandum enim comburebatur, &

& inter cõburendum lapidabatur. Et similiter intellige de suis demonstratis per pronomen, eos. Quod pronomen demonstrare oues, asinos, boues, & reliqua quæ ipsius Hachã erant, non est dubium: carentes siquidẽ hebræi neutro genere, vtutur masculino genere etiam pro neutro. An autẽ cõprehendantur filia & filii non est clarum, quia nõ est certum an fuerint ætatis adultæ & participes criminis, & rursus nõ certum est an dicente deo comburetur ipse & omne quod ei, seu & oēs qui ei, mandauerit comburi ipsum & filios etiam paruulos. Certum est enim quod filij & filia ducti sunt ad locum supplicij, & cõtextus sonat quod fuerit cõbusti & lapidati: sed nõ humana, sed diuina autoritate in dictis verbis intellecta. Quod enim interpretes dicunt & omne quod ei, Hebraicẽ potest in numero plurali & masculino genere sonare & omnes qui ei: & hunc sensum tanquam magis consonum literæ completendum reor. Duplicis autem pœnæ ratio non rigor iustitiæ sed clementia potius videtur, præceperat siquidẽ deus inuictum in hoc crimine comburi, nec fas erat diuinam sententiam præterire, quia tamen Hachan confessus est dando deo gloriam peccatum suum, temperauit Iosua incendium lapidatione: vt confessus qui absolui non poterat minus sentiret tormentum incendiij lapidatione, & citius & mitius in igne moriens. Exerueruntque super eum acerrimum lapidum magnum qui permanet vsque in præsentem diem, & auersus est dominus ab ira furoris sui. Cessante materia vindictæ per punitionem malefactoris, cessauit & deus irasci: hoc est perseuerare in punitione, magna enim punitio erat non adiuuare illos contra hostes, vocatumque est nomen loci illius vallis Hachor vsque in hanc diem.

## CAPVT VIII.

**D**ixit autem dominus ad Iehosua: nõ timabis neque formidabis. Iuxta Hebræum habetur, & non te franges. Purgato anathemate confortat Deus Iosua vt non frangatur animo, sed ad pristinam integritatem redeat & aggrediatur ciuitatem Hai, tolle tecum totum populum bellatorem, & surge ascende in Hai: vide tradidit in manum tuam regem eius & populum, ciuitatemque & terram. Faciesque Hai regi eius sicut fecisti Iericho & regi eius: tantum spolia & animalia eius diripietis vobis. Excipit à similitudine tractandi Hai, sicut Iericho prædam, concedendo ipsam populo, pone insidias ciuitati



uitati à tergo eius. Si peccatum esset uti insidiis in bello iusto, non doceret ac mandarēt deus hoc.

**S**UVRERIT; Iehosua & totus populus bellatorum cum eo ut ascenderent in Hai. & electa triginta millia virorū fortū misit nocte. Iuxta Hebræum habetur. & elegit Iehosua triginta millia virorum potentium fortitudine & misit eos nocte. Non dicit litera quod misit omnes eos, sed dicit & misit eos. ut enim paulo inferius patebit, quinq; millia duntaxat misit ex electis triginta millibus. Præcepitque eis dicens, videte insidiamini civitati à tergo ipsius, nec longius recedatis. Deficit à civitate valde. mandat enim ut non multum elongentur à civitate, Hai. & eritis omnes parati. Deficit, vos. Legendum est. & eritis omnes parati. alloquitur enim illa quinque millia que mittebat ad insidias. Ego autem & tota multitudo que mecum est, accedemus ad civitatem. Multitudo viginti quinq; millium electorū refertur. cumq; exierint contra nos, sicut ante fecimus fugiemus ante eos, donec persequētes à civitate longius protrahantur: putabunt enim nos fugere sicut prius. Quemadmodum uti licet insidiis, ita occultare & differre pugnam fugiendo ad trahendum hostes in locū ubi facilius superentur. Nobis ergo fugientibus & illis persequentibus, consurgētis de insidiis & vastabitis civitatem: in adēque eam dominus deus vester in manus vestras. Cumq; ceperitis civitatem succendite eam, & sic omnia facietis ut iussi. Iuxta Hebræum habetur, sicut verbum Iehovah facietis, videte præcepi vobis. Monet eos Iosua ut iuxta imperium Dei incendant civitatem. Dimisitq; eos, & perrexerunt ad locū insidiarum sederuntq; inter Bethel & Hai ad occidentalem plagam Hai. Nota locum propter ea quæ paulo post subiunguntur. Iehosua autē nocte illa mansit in medio populi. Surgensq; diluculo recensuit socios. Iuxta Hebræum habetur, ordinavit populum, proculdubio viginti quinq; millium bellatorum. & ascendit cum senioribus in fronte exercitus, & allatus auxilio pugnatorū. Sensus recte redditur: quantum hebraicè habeatur nō exercitus sed populus, esse enim sermonem de populo bellatore testantur subiuncta verba statim in hebræo. Et omnis populus belli qui cum ipso ascenderunt & appropinquarunt & venerunt contra civitatem, hinc enim clarè apparet quod de populo bellatore est sermo. Præcedebant autem senes, ne viri robusti turpe reputarent fugere, sed senū auctoritate regerentur, castrametatiq; sunt ab aquilone Hai, &

vallis

vallis erat inter eos & Hai. Quinq; autē millia viros elegerat. Iuxta Hebræū habetur. Et accepit sicut quinq; millia virorum, & posuit eos insidiatores inter Bethel & inter Hai ab occidentē civitati. Suppletio est explicatiua numeri missorū ad insidias, nam nō dicitur quod ex triginta millib; missis reuocauit viginti quinque millia: sed dicitur quod accepit proculdubio ex triginta millibus electis quinq; millia, & posuit ea mandato ad occidentalem plagam civitatis. Et idem penitus locus describitur insidiarū hęc & paulo superius: quo non perrexit Iosua qui in septentrionali plaga substitit. Omnis v. rō reliquus exercitus ad aquilonem agiem dirigebat, ita ut nouissimi multitudinis occidentalem plagā c. r. attingerent. Iuxta Hebræum habetur. Et posuerunt populus omnia castra que erant ab aquilone civitati, & insidias suas ab occidentē civitati. repetitur siquidem ad integram simul descriptionem exercitus dispositio vtriusq; partis: videlicet quod populus cum Iosua erat ad septentrionem, insidiarū autē ad occidentem civitatis. & perrexit Iehosua nocte illa in medium vallis. Suppletur progressus Iosue in vallē. narratum enim fuerat quod erat vallis inter ipsos & civitatem: suppletur modo describendo quod non sic erat vallis media quod Iosua cum suis maneret extra vallem: sed vsque ad dimidium, vallis progressus fuit: ita quod media vallis supererat inter Iosua & civitatem.

Quod cum vidisset rex Hai, festinavit mane & egressus est cum toto populo civitatis: direxitque aciem contra desertum. Iuxta Hebræum habetur, ad adunationem in faciebus planticiei. Congregatio enim quæ erat cum Iosua describitur, versus enim illam progrediebatur rex cum populo suo. & nesciebat quod insidiarū essent sibi à tergo civitatis. Iehosua verò & omnis Israel cesserunt loco simulantes metū. Iuxta Hebræū habetur. Et plagati fuerunt Iehosua & omnis Israel coram eis: & fugerunt per viam solitudinis. Sic ad verbum scribitur Hebraicè. Qualis autem fuerit plaga non narratur: leuissimī tamen aliqui ictus creduntur attigisse Israelitas. Et vociferati sunt omnis populus in civitate ad persequendum eos: & persecuti sunt Iehosua, & euulsi sunt à civitate. Et non remansit vir in Hai & in Bethel qui non egressus sint post Israel. Crediderim ego Bethel oppidulum valde propinquum Hai, & tanquam villam fuisse vrbis Hai, vnde & prædæ ipsius non fit specialis mentio. & reliquerunt aperta



nitati à tergo eius. Si peccatum esset uti insidiis in bello iusto, non doceret ac mandarè deus hoc.

**S**urrexerunt Iehosua & totus populus bellatorum cum eo ut ascenderent in Hai: & electa triginta millia virorum fortium misit nocte. Iuxta Hebræum habetur. & elegit Iehosua triginta millia virorum potentium fortitudine & misit eos nocte. Non dicit litera quod misit omnes eos, sed dicit & misit eos. ut enim paulò inferius patebit, quinq; millia duntaxat misit ex electis triginta millibus. Præcepitque eis dicens, videte insidiamini civitati à tergo ipsius, nec longius recedatis. Deficit à civitate valde. mandata enim ut non multum elongentur à civitate, Hai. & erunt omnes parati. Deficit, vos. Legendum est. & eritis omnes parati. alloquitur enim illa quinque millia que misit nocte ad insidias. Ego autem & tota multitudo que mecum est accedemus ad civitatem. Multitudo viginti quinq; millium electorum referatur. cumq; exierint contra nos, sicut ante fecimus fugientes ante eos, donec persequentes à civitate longius protrahantur: peribunt enim nos fugere sicut prius. Quemadmodum uti licet insidiis, ita occultare & differre pugnam fugiendo ad trahendum hostes in locum ubi facilius superentur. Nobis ergo fugientibus & illis persequentibus consurgitis de insidiis & vastabitis civitatem. Addeque eam dominus deus vester in manus vestras. Cumq; ceperitis civitatem succendite eam, & sic omnia facietis ut iussi. Iuxta Hebræum habetur, sicut verbum Iehovah facietis, videte præcepti vobis. Monet eos Iosua ut iuxta imperium Dei incendant civitatem. Dimisitq; eos, & perrexerunt ad locum insidiarum sederuntq; inter Bethel & Hai ad occidentalem plagam Hai. Nota locum propter ea quæ paulò post subiunguntur. Iehosua autem nocte illa mansit in medio populi. Surgensq; diluculo recensuit socios. Iuxta Hebræum habetur, ordinavit populum, proculdubio viginti quinq; millium bellatorum. & ascendit cum senioribus in fronte exercitus, & allatus auxilio pugnatorum. Sensus recte redditur: quantum hebraicè habeatur non exercitus sed populus, esse enim sermonem de populo bellatore testantur subiuncta verba statim in hebræo. Et omnis populus belli qui cum ipso ascenderunt & appropinquarunt & venerunt contra civitatem. hinc enim clarè apparet quod de populo bellatore est sermo. Præcedebant autem senes, ne viri robusti turpe reputarent fugere, sed senum auctoritate regerentur, castrametarij sunt ab aquilone Hai, & vallis

vallis erat inter eos & Hai. Quinq; autem millia viros elegerat. Iuxta Hebræum habetur. Et accepit sicut quinq; millia virorum, & posuit eos insidiatores inter Bethel & inter Hai ab occidente civitati. Suppletio est explicatiua numeri missorum ad insidias: nam non dicitur quod ex triginta millibus missis reuocauit viginti quinque millia: sed dicitur quod accepit proculdubio ex triginta millibus electis quinq; millia, & posuit ea mandato ad occidentalem plagam civitatis. Et idem penitus locus describitur insidiarum hæc & paulo superius: quo non perrexit Iosua qui in septentrionali plaga substitit. Omnis vero reliquus exercitus ad aquilonem aciem dirigebat, ita ut nouissimi multitudinis occidentalem plagam ei spatis attingerent. Iuxta Hebræum habetur. Et posuerunt populus omnia castra que erant ab aquilone civitati, & insidias suas ab occidente civitati. repetitur siquidem ad integram simul descriptionem exercitus dispositio vtriusq; partis: videlicet quod populus cum Iosua erat ad septentrionem, insidiæ autem ad occidentem civitatis. & perrexit Iehosua nocte illa in medium vallis. Suppletur progressus Iosue in vallè. narratum enim fuerat quod erat vallis inter ipsos & civitatem: suppletur modo describendo quod non sic erat vallis media quod Iosua cum suis maneret extra vallem: sed vsque ad dimidium, vallis progressus fuit: ita quod media vallis supererat inter Iosua & civitatem.

Quod cum vidisset rex Hai, festinauit mane & egressus est cum toto populo civitatis: direxitque aciem contra desertum. Iuxta Hebræum habetur, ad adunationem in faciebus planicie. Congregatio enim quæ erat cum Iosua describitur. versus enim illam progrediebatur rex cum populo suo. & nesciebat quod insidiæ essent sibi à tergo civitatis. Iehosua vero & omnis Israel esse vult loco simulantes metum. Iuxta Hebræum habetur. Et plagati fuerunt Iehosua & omnis Israel coram eis: & fugerunt per viam solitudinis. Sic ad verbum scribitur Hebraicè. Qualis autem fuerit plaga non narratur: leuissimi tamen aliqui ictus credantur attigisse Israelitas. Et vociferati sunt omnis populus in civitate ad persequendum eos: & persecuti sunt Iehosua, & euulsi sunt à civitate. Et non remansit vir in Hai & in Bethel qui non egressus sint post Israel. Crediderim ego Bethel oppidulum valde propinquum Hai, & tanquam vllam fuisse vrbis Hai, vnde & prædæ ipsius non fit specialis mentio. & reliquerunt aperta



aperta oppida. Iuxta Hebræum habetur. & reliquerunt ciuitatem apertam, & persecuti sunt Israel. Tanquam pro nihilo habeatur Bethel. sola Hai describitur aperta.

Dixitq; dominus ad Iehosua, leua clypeum qui in manu tua est cōtra ciuitatem Hai. Iuxta hebræū habetur. inclina manum tuā in lancea qua in manu tua ad Hai. hoc est inclina lanceā versus Hai sustentando eam manu tua. Vnde patet quod nō in signum militibus positus ad insidias, sed in sacramētum actio ista facta est. quoniam in manum tuam tradam eam, cumq; eleuauerit clypeum ex aduerso ciuitatis. Iuxta Hebræum habetur. & inclinauit Iehosua lanceam que in manu sua ad ciuitatem. Ex quibus manifeste patet quod mysterij gratia iussa, et huiusmodi inclinatio lanceæ, quod clarius paulo inferius manifestatur. Et insidia que latebant surrexerunt cōfestim: & pergentes ad ciuitatem ceperunt & succenderunt eam. Diuina proculdubio operatione factum est vt extēdente Iosua manum suam versus ciuitatem insidia surrexerint & ceperint atq; succenderint ciuitatem. Hebraicē enim repetitur inclinatio manus: nam legitur. Et insidiator surrexit citō è loco suo, & cucurrerunt inclinante Iehosua manū suam, & uenerunt ad ciuitatem & ceperunt eam: festinaueruntq; & succenderunt ciuitatem igni. Vbi clare patet quod inclinatio manus ratio fuit surgēdi: operante Deo simul utrūq; (sed mediante inclinatione manus Iosua) quod constituti in insidiis surgerent festini ad capiendam ciuitatē. Viri autem ciuitatis qui persequēbantur Iehosua, respicientes post se & uidentes fumum ciuitatis vsque ad cælum conscendere, nō potuerunt huc illucq; diffugere: præsertim cum ij qui simulauerant metum & tendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissimē resistissent. Iuxta hebræum habetur. & populus qui fugerat in desertum, versus est ad persequentes. plus enim dicitur quam resistere. Videntesq; Iehosua & omnis israel quod capta esset ciuitas & fumus ciuitatis ascenderet, reuersi percusserunt viros Hai. Siquidem & illi qui ceperat & succenderant ciuitatē egressi ex ciuitate contra suos. legendum est. contra eos. uidelicet viros Hai. mēdios ferire ceperunt. Cum ergo ex utraque parte aduersarij cederentur ita vt nullus de tanta multitudine saluaretur, regem quoque ciuitatis Hai apprehēderunt uiuentem & obtulerunt Iehosua. Igitur omnibus interfectis qui Israelē ad desertā tendentem fuerant persecuti & in eodem loco gladio corruētibus, reuersi filij Israel percusserunt ciuitatem in ore gladij. interfecerunt enim mulieres &

par-

paruulos. Fuerunt autem qui die illa ceciderūt à viro vsque ad mulierem duodecim millia: omnes viri Hai. Iehosua uero non contraxit manum quam in sublime porreerat tenens clypeum. Iuxta Hebræum habetur. Et Iehosua non reduxit manum suam quam inclinauit in lancea vsque quo interfecit omnes habitantes Hai. Hinc manifestissimē habetur quod inclinatio manus ac lancee versus ciuitatem diuinum fuit mysterium: vt intelligamus quod quemadmodum pugnante Israēle contra Hamalecitas, erectio manuum Moysi continuata ratio erat vincēdi, ita pugnante Israēle contra Hai, perseuerantia extensæ manus ac lanceæ Iosua cōtra ciuitatem ratio fuit vincēdi. Disposuit autem Deus intercedentibus huiusmodi signis sensibilibus victorias illis, ad clarius manifestandum quod ipse Deus est author victoriæ. tensa enim manus Iosua cum lancea versus Hai signum erat diuinum diuine pugnæ contra ciuitatē illā. Tantum iumenta & prædam ciuitatis diuiserunt sibi filij Israel: sicut præceperat dominus Iehosua. Et succendit Iehosua Hai: & posuit eam tumulum sempiternum. Regem quoque eius suspendit in ligno vsque ad tempus vespertinum. & post solis occasum præcepit Iehosua, & deposuerunt cadaver eius de ligno, proieceruntque illud ad introitum portæ ciuitatis, congregato super ipsum magno acervo lapidum qui permanet vsque in præsentem diem.

**T**unc edificauit Iehosua altare domino deo Israel in monte Hebal, sicut Moyses seruus domini præceperat filiis Israel. Deute. 27. & scriptum est in volumine legis Moysi. Exod. 20. altare ex lapidibus impolitis quos ferrum non tetigit: & obtulit super ipsum holocausta domino, immolauitque victimas pacificas. Et scripsit super lapides. Legendum est. Et scripsit ibi super lapides. Deutero 27 mandauit Moyses non solum ædificari altare in monte Hebal, sed etiam erigi ibidem magnos lapides liniendos calce vt possit in illis scribi. & propterea huius mandati executio narratur, dicendo & scripsit ibi super lapides. est siquidem sermo de istis lapidibus magnis linitis calce. Deuteronomium legis Moysi quod ille digesserat. Iuxta Hebr. habetur. secunditatem legis Moysi quā scripsit coram filiis Israel. Vt Hebraica dictio intelligatur, fictum est nomen abstractum à secundus secunda secundum. significat enim Hebraica dictio non secundam legem, sed (si dici licet) secunditatem. Et hæc litera insinuat quod in his lapidibus scripta erant præcepta illa quæ Deut. 6. explicauit Moyses: uidelicet de unitate Dei & de amore

C

Dei.



Dei. hæc enim sunt præcipua & præcipue explicata in secundaria traditione legis quam fecit Moses. ut doctor legis à Deo tradita.

Omnis autem Israel & seniores eius & duces ac indices stabant ex utraque parte arcæ in conspectu sacerdotum leuitarum portantium arcam fœderis domini, ut peregrinus sic indigena, dimidia pars eorum iuxta montem Gherizim, & dimidia iuxta montem Hebal. Ordo tacitus in Deuteronomio manifestatur hic: tria enim circa localem dispositionem populi in hoc solenni actu declaratur. Primum quod diuisus erat populus in duas partes: alteram à dextris, alteram à sinistris arcæ. Secundum quod ambe partes erant in conspectu sacerdotum portantium arcam: ita quod non erat pars populi post arcam & pars ante arcam, sed omnes erant in prospectu sacerdotum portantium arcam. Tertium est quod populus erat diuisus in duas medietates, sic quod una medietas erat iuxta montem Hebal, & altera iuxta montem Gherizim. sicut præceperat Moses seruus domini, & primum quidem benedixit populo Israel. iuxta Hebræum habetur. ad benedicendum populo Israel primum. Lege capitulum vigesimum septimum Deuteronomii iuxta Hebraicam veritatem: & inuenies scriptum à Mose, isti stabunt ad benedicendum populum super montem Gherizim. & intelliges præsentis literæ sensum esse quod populus conuenit sic locatus ad benedicendum in primis ipsum Israel populum. Quamuis enim benedictiones & maledictiones tunc legerentur, ordo tamen hic declaratur quod primum legebatur benedictiones. Post hæc legitur omnia verba benedictionis & maledictionis, & cuncta que scripta fuerant in legis volumine. iuxta Hebræum habetur. Et postea sic legitur omnia verba legis, benedictionem & maledictionem: iuxta omne quod scriptum est in libro legis. Prius narrata est tam localis dispositio populi quam ordo seruandus inter benedicendum & maledicendum: modo narratur executio, dicendo quod post conuentum populi sic locati legitur (proculdubio Iosua per sacerdotes seu leuitas) omnia verba legis, appositue benedictionem & maledictionem, iuxta omne scriptum in libro legis. interpres enim vulgare editionis mutauit ut voluit. Nihil ex illis que Moses iusserat reliquit intactum, sed omnia replicauit iuxta Hebræum habetur. Non fuit verbum ex omnibus que præcepit Moses quod non legitur Iehosua. Intellige ut dictum est per sacerdotes, coram omni multitudine Israel, & mulieribus ac paruulis & peregrinis qui inter eos morabantur.

CAP.

## CAPVT IX.

Vibus auditis cuncti reges qui erant trans Iordanem in monte & in planicie & in omni littore maris magni contra Libanum (Chiteus & Emoraus, Chenahaneus & Perizeus, Chineus & Iebuseus) congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Iehosua & Israel ore vno.

Et habitatores Ghibbon audierunt quod fecerat Iehosua Tericho & Hai. Et fecerunt etiam ipsi callide, & tulerunt sibi ciuaria. iuxta Hebræum habetur. & iuerunt & legatos egerunt. Significatur enim quod personas legatorum assumpserunt: fixerunt enim se legatos gentis remotæ regionis. hoc est enim quod cum ingenio fecisse describuntur. ceperuntque saccos veteres quos asinus imposuerunt & vires vinarios scissos atque confutos, & calciamenta perantiqua que ad indicium vetustatis pitaciis confusa erant, induti veteribus vestimentis: panes quoque quos portabant ob viaticum, duri erant & in frustra comminuri. Subiungit signa legatorum à valde remotis partibus: videlicet saccos veteres, & vires veteres scissos & colligatos, calceos similiter veteres & resarcitos, vestes quoque veteres, & demum panes siccos & mucidos. quamuis vulgata editio aliter habeat. Perrexeruntque ad Iehosua ad castra Ghibbon, & dixerunt ei atque simul omni Israeli. iuxta Hebræum habetur. & ad virum Israel, de terra longinqua venimus, & nunc percutite nobiscum factus. significatur enim quod passim interrogantibus Israelitis hoc dicebant.

Responderuntque viri Israel ad eos. iuxta Hebræum habetur. ad Chineum. Nomen est nationis Gabaonitarum & eorum ciuitatum, atque dixerunt, ne forte in terra que nobis sorte debetur habitetis & non possimus fœdus inire vobiscum. Dixeruntque ad Iehosua, serui tui sumus: quibus Iehosua ait, quinam estis & unde venistis? Et dixerunt ei, de terra longinqua valde venerunt serui tui in nomine domini Dei tui. Annotabis prudens lector, quod profitentur Gabaonitæ se venisse in nomine Iehouah Elohe Israel, ut intelligas iam proferre se paratos ad cultum summi Dei qui colitur ab Israel. audiuit enim samam eius & omnia que fecit in Aegypto, & omnia que fecit duobus regibus, Emoraus qui erant trans Iordanem: Sichon regi Chesbon & Hog regi Basan qui erant in Hasaroth.

C ii storum



storum contra Iericho & Hai, ne conuincerentur vicini. gesta enim tempore Moſis poterant ſciri etiam à remotis regionibus: nuperrimè autem geſta à Iofua contra Iericho & Hai, non erant tunc nota niſi vicinis. Dixeruntque nobis ſeniores noſtri & omnes habitatores terra noſtra, tollite in manibus veſtris cibaria pro itinere & ite in occurſum eorum: ac dicite, ſerui veſtri ſumus & nunc percutite nobiſcum fœdus. En panes quando egreſſi ſumus de domibus noſtris, ut veniremus ad vos, calidos ſumpſimus: & nunc ſicci facti ſunt & vetuſtate nimia comminuti. Vires vini novos impleuimus, nunc rupti ſunt & ſoluti veſtes & calciamenta quibus induimur & quæ habemus in pedibus ob longitudinè via trita ſunt & penè cõſumpta. Suſceperunt igitur de cibariis eorũ in ſignum cõmunionis & pacis ſumpſerunt Iſraëlites de alimentis Ghabaonitarũ. & os domini nõ interrogauerunt. Ecce deſectus culpaque omiſſi recurſus ad Deum, debebant enim Iofua & primates conſulere Deum, cum ſuſpicaretur illos legatos veniſſe de regione propinqua. Fecitque Iehofua cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt quòd non occiderentur principes quoque multitudine iurauerunt eis.

**P**oſt dies autem tres initi fœderis audierunt quòd vicini eſſent ſibi & in medio ſui habitarent. Moueruntque caſtra filij Iſrael. Iuxta Hebræum habetur. Et profeſti ſunt filij Iſrael, & venerunt in ciuitates eorũ die tertio: quarũ hæc ſunt nomina, Ghibbon & Cephira & Beeroth & Ciriath Ieharim. Nõ ſignificatur quòd trãſmigrãrunt caſtra populi ex Ghilgal, ſed quòd exercitus bellatorũ venit die tertio ad ciuitates (hoc eſt ad territoria ciuitatũ) Ghabaonitarũ: & tũc audierunt quòd ciuitates illæ erant cum quibus fecerat fœdus. Et non percuſſerunt eos filij Iſrael, eò quòd iuraſſent eis principes multitudinis per dominum Deum Iſrael: & murmurauit tota multitudo contra principes. Qui reſponderunt eis, iurauimus eis per dominum Deum Iſrael: & idcirco non poſſumus eos cõtingere. Primates qui iurauerant cenſuerunt, ſeruadum eſſe iuramentũ ob reuerentiã diuini nominis. Et merito: quia quãuis decepti debebãt tamen admittere Ghabaonitas non induratos in cultu idololatriæ, ſed paratos ad cultũ ſummi dei & timètes iudicia eius. diuinum enim decretum Exod. 34. & Num. 33. intelligi de obſtinatis manifeſtatur inferius in cap. 11. vbi redditur ratio diſparitatis inter Ghabaonitas & alios populos penes indurationè aliorũ & non indurationè Ghabaonitarũ. Iuramentũ itaque nõ fuit aduerſus decreta Dei:

&amp;

& propterea ſeruandum erat. quãuis errauerint in modo patitiendi: quia os domini nõ interrogauerunt. Sed hoc faciemus eis: referentur quidẽ ut viuãt, ne contra nos ira domini concitetur ſi peierauerimus. Iurauerant enim nõ occidere illos, & propterea integrum ſeruandum cenſent iuramentum; ad ſeruadum autem tumultum militũ addicti ſunt cuidam publicè ſeruituti, ſed ſic viuant ut in vſu vniuerſe multitudinis ligna cadant aquaſque comportent, quemadmodum locuti ſunt eis principes. Senſus eſt, vice vniuerſe ſynagoga Iſraël erunt ad incidendum ligna & ad hauriendum aquam in vſum (ut inferius exprimitur) domus Dei. In fauorem itaque Iſrael hoc intellige. tenebatur enim populus Iſrael prouidere de lignis & aqua domus Dei: & exoneratus eſt ac abſolutus ab hoc debito per hanc ſeruitutem Ghabaonitarum & propterea in bonum populi ſcribitur hoc pactum, quanuis ſeruitutis vtilitas diſcretè reſpiceret domũ Dei: & propterea & domus Dei & populi mentio in litã fit. Vocauitque eos Iehofua, & locutus eſt ad eos dicendo: cur decepiſtis nos, dicendo longinqui ſumus à vobis valde & vos in medio noſtri habitati? Et nunc maledicti eſtis, ſpecies enim mali ſeruitus eſt. & non deficient de ſtirpe veſtra cadentes ligna & haurientes aquam domus domini dei mei. Qui reſponderunt: cum indicatum eſſet ſeruis tuis omne quod præcepit dominus Deus tuus Moſi ſeruo eius, ad dandum vobis omnem terram & ad diſperdendum omnes habitatores terra à facie veſtra, timuimus valde animabus noſtris à facie veſtra & fecimus hoc. Et hinc quoque apparet Ghabaonitas timiſſe Deum Iſrael, & non fuiſſe induratum cor eorum quẽadmodum aliorum populorum. Nũc autem in manu tua ſumus: quod tibi bonum & rectum videtur, fac nobis. Fecit ergo Iehofua ut dixerat: & liberauit eos de manibus filiorum Iſrael ut non interſicerentur. Decreuitque in illo die eos eſſe in miniſterio cuncti populi & altaris domini, cadentes ligna: & aquam comportantes vſque in tempus præſens in locum quem dominus elegiſſet.



**V**a cum audiſſet Adoniſedec rex Ieruſalaim, Quemadmodũ rex Salem honorabatur titulo Melchiſedec (hoc eſt rex meus iuſtitie) ita rex Ieruſalem habebat pro titulo Adoniſedec, hoc eſt dominus meus iuſtitie. Et hinc cõiectura eſt quòd illa Salem eſt Ieruſalem: titulus enim regis vnus atque idem hoc innuit.